



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Dispvt. CLXXXI. An singuli Angeli suapte natura specie differant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

explicat hominum, aut Angelorum, & ex contextu colligit ibi enim non describitur praelium inter bonos & malos Angelos in caelo: sed inter demonem, & homines fideles in Ecclesia, ut latius infra disputat 225. cap. 2. ostendimus. Pro priori vero parte nihil video esse alicuius momenti, præter Brigittæ reuelationem, cuius sanctitati multum deferendum est. Idem probabiliorē eam existimo. Si tamen aut testimonii Scripturæ, patrum, aut ratione sola agendum esset, nihil de hac re coniecere possemus, ut monstratum est. Vnde enī constare nobis posset, eundem Angelum in custodiam multorum hominum iterum atque iterum non delegari.

ARTICVLVS IIII.

Utrum Angeli differant specie.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod Angeli non differant specie. Cum enim differentia sit nobilior genere, quæcūque conueniunt secundum id, quod est nobilissimum in eis, conueniunt in vltima differentia constitutiuā, & ita sunt eadem secundum speciem. Sed omnes Angeli conueniunt in eo, quod est nobilissimum in eis, scilicet in intellectualitate. Ergo omnes Angeli sunt vnius speciei.

2. Præterea. Magis & minus non diuersificant speciem. Sed Angeli non videntur differre ab inuicem, nisi secundum magis, & minus: prout scilicet vnus alio est simplicior, & perspicacior intellectus. Ergo Angeli non differunt specie.

3. Præterea. Angeli & Angelus ex opposito diuiduntur: sed omnes animæ sunt vnius speciei. Ergo & Angeli.

4. Præterea. Quanto aliquid est perfectius in natura, tanto magis debet multiplicari. Hoc autem non esset, si in vna specie esset vnus tantum indiuiduum. Ergo multi Angeli sunt vnius speciei.

Sed contra est, quod in his, quæ sunt vnius speciei, non est inuenire prius & posterius, ut dicitur in 3. Metaph. Sed in Angelis etiam vnus ordinis sunt primi & medij, & vltimi, ut dixit Dionys. 10. cap. Angelicæ hierarch. Ergo Angeli non sunt eiusdem speciei.

Respondet dicendum, quod quidam dixerunt omnes substantias spirituales esse vnius speciei, etiam animas. Alij vero, quod omnes Angeli sunt vnius speciei, sed non animæ. Quidam vero, quod omnes Angeli vnius hierarchiæ, aut etiam vnus ordinis. Sed hoc est impossibile. Ea enim quæ conueniunt specie, & differunt numero, conueniunt in forma, sed distinguuntur materialiter. Si ergo Angeli non sunt compositi ex materia & forma, ut dictum est supra: sequitur quod impossibile sit esse duos Angelos vnius speciei: sicut

Vasquez in 1. p. som. 2.

etiam impossibile esset dicere, quod essent plures albedines separatae aut plures humanitates; cum albedines non sunt plures, nisi secundum quod sunt in pluribus substantiis. Si tamen Angeli haberent materiam, nec sic possent esse plures Angeli vnius speciei. Sic enim oporteret quod principium distinctionis vnus ab alio, esset materia: non quidem secundum diuisionem quantitatis, cum sunt incorporei, sed secundum diuersitatem potentiarum. Quæ quidem diuersitas materię causat diuersitatem speciei & generis.

Ad primum ergo dicendum, quod differentia est nobilior genere: sicut determinatum indeterminato, & proprium communi, non autem sicut alia & alia natura. Alioquin oporteret quod omnia animalia irrationalia essent vnius speciei, vel quod esset in eis aliqua alia perfectior forma, quam anima sensibilis. Differunt ergo specie animalia irrationalia secundum diuersos gradus determinatos naturæ sensitiuæ. Et similiter omnes Angeli differunt specie secundum diuersos gradus naturæ intellectiue.

Ad secundum dicendum, quod magis & minus secundum quod causantur ex intensione & remissione vnus formæ, non diuersificant speciem. Sed secundum quod causantur ex formis diuersorum graduum, sic diuersificant speciem: sicut si dicamus, quod ignis est perfectior aere. Et hoc modo angeli diuersificantur secundum magis & minus.

Ad tertium dicendum, quod bonum speciei præponderat bono indiuidui. Vnde multo melius est quod multiplicentur species in Angelis, quam quod multiplicentur indiuidua in vna specie.

Ad quartum dicendum, quod multiplicatio secundum numerum cum infinitum protendi possit, non intenditur ab agente, sed sola multiplicatio secundum speciem, ut supra dictum est. Vnde perfectio naturæ angelicæ requirit multiplicationem specierum, non autem multiplicationem indiuiduorum in vna specie.

CONCLUSIO est, ita verum est, omnes Angelos esse diuersæ speciei atomæ, ut impossibile sit, sub eadem specie esse plures Angelos numero sibi differentes. Tota difficultas præsentis articuli consistit in hac conclusione, quæ sequenti disput. expendenda est.

DISPV T. CLXXXI.

An singuli Angeli suapte natura specie differant.

Dua opiniones sancti Thomæ, & discipulorum eius. cap. 1.

Dua alia Scholasticorum sententia. 2.

Probabilior sententia est, Angelos quidem solo numero differre posse: an vero nunc ita differant, occultum est. c. 3.

Na

CAP.

IN presenti controuersia non solum varia fue-
runt aliorum Scholasticorum placita, sed etiam
ipse S. Thom. eiusque discipuli non satis consen-
tiunt. Prima igitur opinio sit S. Thom. in artic. 4.
asserentis, singulos Angelos inter se specie differe-
re. Immo intra eandem speciem multiplicari non
posse: quam sententiam amplectitur Caietan. in
comment. tametsi non definat. an potentia ab-
soluta Dei sub eadem specie non possint Angeli
multiplicari. & solo numero differre: id tamen ex-
presse docet capit. 4. de ente & essentia quæst. 7. ex
mente doctoris sancti. Idem videtur sentire Petrus
Bergomus in concordantiis locorum S. Thom. dub. 2. 15. &
Henricus in 2. d. 3. qu. 2. art. 2. fuitque sententia Agidij,
qui & discipulus ipsius S. Thom. & auditor fuit,
quodlibet 2. qu. 7. atque ex ratione S. Thom. colligi
videtur, quæ talis est: iuxta doctrinam Aristotel.
multis in locis, multiplicatio indiuiduorum sub
eadem specie provenit à materia: non primo de
cælo capit. 9. text. 92. docet esse tale rei provenire
à materia: esse autem simpliciter, à forma: vitur
autem exemplo circuli, de quo ait, esse circuli
provenire à forma: sed, esse talis circuli à materia:
ex qua doctrina colligit in hæc verba, Est ergo aliud
hoc cælum, & simpliciter cælum: atque hoc est ut species
atque forma, illud ut cum materia mixtum. Ex quo tan-
dem infert, multos esse cælos, quia materia mul-
tiplicatur. Et 5. Metaph. cap. 6. text. 12. Ea, inquit,
sunt vnum numero, quorum materia est vna: specie vero,
quorum ratio vna: per rationem formam intelligit.
Et 5. Metaph. cap. 8. in fine, ait generans & genitum
distingui propter materiam. Clarissime vero 12.
Metaph. cap. 8. text. 49. affirmat, quæcunque nume-
ro plura sunt, materiam habere: ergo cum in An-
gelis non sit materia, ut art. 2. huius quæst. probat-
um est, efficitur Angelos forma, seu specie neces-
sario differre, ac solo numero sub eadem specie
distingui non posse, etiam secundum potentiam
absolutam Dei: Deus enim supplere nequit prin-
cipium intrinsecum distinctionis, neque solus ef-
fectum illius producere.

Secunda opinio est quorundam Thomistarum,
qui asserunt, Angelos solo numero differre posse,
& à Deo multiplicari. Sic opinantur Capreol. in 2.
d. 3. qu. 1. art. 3. ad 2. Durandus contra 5. conclus. in solut. 4.
& Ferrar. 2. contra gentes capit. 93. §. Ad hoc dicendum,
imo & ipse S. Tho. expresse id docuerat in opusculo
16. quod est contra Averroistas, cum soluit ar-
gumenta pro contraria parte: affirmat enim intel-
lectum humanum multiplicari à Deo potuisse, et
si natura sua principium multiplicationis non ha-
beret, id enim, quod aliqua res non habet
natura sua & ex principiis naturalibus, habere po-
test ab alia causa, præsertim vero à Deo: sicut gra-
ue ex se non habet moveri sursum, & tamen ei po-
test convenire ab alia causa proficiente. Ex qua
doctrina aperte consequitur, Angelos, saltem po-
tentia absoluta Dei multiplicari posse intellectus
humani, qui spiritalis est, etiam si in se non ha-
beret principium innatum multiplicationis, vir-
tute absoluta Dei posset multiplicari. Id quod
cum doctrina ipsius sancti Thomae in hoc articulo
constare potest: ipse enim neque hic, neque
alibi de potentia absoluta Dei quidquam dixit.

Addit Ferrariensis fortassis nunc etiam Angelos
sub ea specie numero differre: tametsi causa dis-
tinctionis occulta nobis sit, id tamen ne sanctus
Thomas, nec Capreolus, nec alius Thomista vi-
quam dixit.

Ceteri Scholastici, quantum ex eorum lectio-
ne colligere potui, in duas quoque senten-
tias diuisi sunt. Nonnulli asserunt, Angelos qui-
dem posse sub eadem specie numero differre, &
nunc etiam ita distingui, non quidem ordinis, sed
eos saltem, qui sunt eiusdem ordinis, imo etiam
eiusdem Hierarchie. Opinio fuit Alexand. 2. p. 2. d. 1.
quæst. 20. membr. 6. art. 1. & 2. Gabr. in 2. d. 3. qu. 1.
art. 2. conclus. 1. & 3. Dionys. Carthus. quæst. 1. & 2. in 2.
quæst. 3. art. 1. Eius vero ratio esse potest,
quam asserit Alexand. quia cum sint ductus ge-
du, & munia Angelorum diuersæ Hierarchie, ne-
cessè colligi videtur differentia specifica: siquidem
ex diuersis accidentibus in substantiis materi-
bus eam colligitur.

Alij vero censent omnes Angelos cuiuscu-
que ordinis, & Hierarchie sub eadem specie solo
numero differre. Ita sentiunt Albertus 2. parte tra-
ctat. 2. quæst. 8. Bonaventura in 2. distict. 9. art. 1.
quæst. 1. cum solum docuisset in distict. 3. 1. p. 1.
art. 2. quæst. 1. omnes, aut plures esse eiusdem
speciei: quam sententiam magis communem esse
fatentur Marfil. loco citato, & Thom. de Argumentis 2. p. 1.
distict. 3. quæst. 2. art. 3. ubi non satis explicat, quomodo
ipse sequatur. Refertur pro ea Ricardus de S. Victore
4. de Trinitate capit. 15. verum si attente legatur, id
non docuit: sunt tamen nonnulli patres, qui cum
non leuiter insinuant. Primo Basilus lib. 3. de Spi-
ritu sancto contra Eunomium non longe obuius valde
quirit, Omnes Angeli sunt appellationem vnam, huius-
modi naturam omnino eandem habent. Loqui autem
Basilium de unitate nature secundum speciem,
perspicuum est, tum quia dicit, Naturam omnino
quis etiam dicat, hominem & equum, quia eodem
nomine dicuntur animalia, eandem omnino ha-
bere naturam cum tamen id de Petro, & Iohanne
placere asseramus: differentia enim indiuiduorum
non sufficit, ut dicamus, diuersam esse eorum na-
turam. Tum etiam cum Basilus contendat prop-
bare inter diuinas personas esse ordinem, etiam si
sint eiusdem nature, exemplo Angelorum, qui
inter se ordinem habent, cum tamen eandem ha-
beant naturam: necesse est, ut loquatur de natura
specificâ, & atoma, alioqui nihil probaret. Secun-
do Athanasius lib. quæst. ad Antiochum quæst. 4. po-
tiusquam interrogauit, an Angeli essent eiusdem na-
ture, respondet, Vna & eadem est essentia, siue na-
tura tantum est essentia hominum, non dicit, animalium,
sed hominum, qui sub eadem infima specie conti-
nentur. Tertio Anselm. lib. 2. in Deum homo cap. 2. ubi
ostendat, vnum Angelum per aliam non po-
tuisse saluari, sicut homines fuerunt redempti per
vnum hominem, inquit. Quamuis omnes scilicet
Angeli sint vnius nature, non sunt eadem generis sunt
homines. Vbi cum concedat, esse eiusdem nature,
fateretur etiam esse eiusdem speciei atome: nam, ut
supra dicebamus, equus & homo non dicuntur
eiusdem nature simpliciter, sed cum additamen-
to generis: dicit tamen non esse eiusdem generis,
non quia non continentur sub eodem prædicamento.

mento, sic enim non essent eiusdem naturæ, sed omnino diuersæ: verum quia, ut statim ipse explicat, non omnes Angeli sunt de vno Angelo, sicut omnes homines de vno homine: pro eodem ergo usurpauit, esse eiusdem generis, & esse eiusdem prolapsæ. Quarto Damasc. in lib. primarum instr. c. 7. ita scribit, intelligendum est ea, quæ sola indiuidua continent, species infinitas vocari, cuiusmodi est angelus, homo, & equus, &c. Ratione vero probatur, quia cum non appareant nobis effectus, aut accidentia Angelorum magis diuersa, quam animarum hominum, & hæc specie non differant: cur dicere debemus, Angelos plusquam numero inuicem differre?

CAP. V. III.

Probabilior sententia est, Angelos quidem solo numero differre posse: an vero nunc ita differant, occultum est.

DVo mihi probabiliora videntur in hac con-
tentione: vnum est nihil omnino ob stare,
quo minus inter Angelos esse possint plures solo
numero differentes intra eandem speciem, non
quidem supplemte Deo principium intrinsecum
distinctionis, sed suapte natura, & ab intrinseco.
Alterum est, quo modo inter se differant An-
geli, qui nunc à Deo creati sunt, nobis igno-
tum esse.

Priorem partem huius opinionis tradunt Sco-
tus in 2. d. 3. q. 7. Durand. q. 3. Gabr. q. 1. art. 2. conclus. 2.
& 3. Ricard. art. 3. q. 1. Thomas de Argent. q. 2. art. 2. concl.
1. Masius in 2. q. 1. art. 1. conclus. 3. Henric. quodlib. 1. 1.
q. 1. & quodlib. 2. q. 8. quibus annuerandi sunt au-
thores tertie & quartæ sententiæ. Primam autem
opinionem damnat fuisse Lutetia ab Stephano
Episcopo, & a DD. Sorbonicis, testatur Ricardus,
& Henricus tamen damnationes articulorum
Parisiensium non magni momenti esse credantur.

Ceterum antequam hanc partem ratione con-
firmem, contra illam opinionem, quam videtur
tradidisse S. Thom. in eo opusculo, supponendum
est, nulla ratione virtute diuina Angelos multipli-
cari posse intra eandem speciem, nisi in singulis
singulorum, & proprium principium distinctio-
nis, cuius effectum Deus nullo modo supple-
re potest: nam licet motum, & alia, quæ sola efficien-
tate causæ superioris sine natio principio alicui
rei imprimi possunt, Deus sola sua virtute facere
valeat, ut motum gratis sursum, vel quietem illius
in loco superiori; tamè distinctionem sine inter-
no principio rei, quæ distinguitur, sola sua virtute
facere nequit: hic enim effectus pendet à princi-
pio, ut à forma intrinseca & essentiali, quam Deus
supplere sua virtute non potest. Est enim peruul-
gatum axioma Theologorum & Philosophorum,
Deum posse supplere vices causæ efficientis, non
autem vices causæ formalis, aut materialis, quæ in-
trinsece, & essentialiter requiritur: nam & vi-
ces subiecti accidentium, à quo accidentia non
pendent essentialiter, etiam supplere potest, non
quidem sustinendo, sed conseruando accidens ad-
que eo, quod inheret: principia autem distinctio-
nis intrinseca sunt, & essentialia: res enim non vo-
luntate Dei, sed suapte natura distinguuntur, & ta-
les sunt. Quocirca authores primæ sententiæ, cum
negent in Angelis distinctionem secundum nume-
rum sub eadem specie consentaneè asserunt, nec de
potentia absoluta Angelos distinguere posse. Nos
Vasquez in 1. p. tom. 2.

autem in confirmationem primæ partis nostræ
sententiæ probare debemus, non deesse in Ange-
lis principium, quo possint solo numero distin-
gui: & ita non supra naturam, sed naturaliter nu-
mero posse differre: ratio vero talis est.

Principium indiuiduationis sub eadem specie
non debet esse aliquid distinctum secundum rem
ab ipsa natura & specie, tam in rebus simplicibus,
quam in compositis, ergo aut in omnibus specie-
bus debet esse distinctio indiuiduorum secundum
numerus, aut in nullis, nam si aliqua ratione in
simplicibus non esset multiplicatio secundum
numerus, ideo esset, quia principium deberet
esse aliquid distinctum, sicut in corporibus ponit-
ur materia signata quantitate aut præcedente, aut
subsequente generationem, quod in simplicibus
non reperitur, atqui principium indiuiduationis
non est huiusmodi, sed omnino idem secundum
rem cum principio specifico, & sola ratione di-
uersum, ac proinde æque in omnibus speciebus
potest reperiri: ergo non est, cur negemus, in sim-
plicibus, & à materia separatis distinctionem se-
cundum numerum sub eadem specie. Porro prin-
cipium indiuiduationis non esse materiam signa-
tam quantitate, aut alio modo, multis probat Sco-
tus d. citata in sex questionibus præcedentibus:
ex quo recte infertur id: quod de Angelis probare
contendit. Ego vero hac vnica sola ratione, om-
missis multis alijs, quibus philosophi vtuntur,
hoc ipsum sic ostendo. Quemadmodum in eo-
dem homine idem secundum rem est genus, spe-
cies, & indiuiduum, & sola ratione nostra hæc dif-
ferunt: sic etiam idem erit principium generis,
speciei & indiuiduationis: esse autem hæc tria
idem omnino secundum rem, & solum nostro
modo concipiendi differre, iam ostendimus disp.
13. cap. 4. neque enim ratio generica, aut specifi-
ca est aliqua realitas, quæ simul sit in homine &
equo, in Petro & Ioanne, sed cogitatione nostra
ex his omnibus abstrahi dicitur conceptus com-
munis, cuius fundamentum est singularis natura,
prout multis similis inuenitur: sic ergo in quali-
bet re omnino eadem, & simplicissima secundum
rationem tria principia possumus assignare, & ge-
nericum, & specificum, & indiuiduationis: esse
autem in compositis præter formam, etiam mate-
riam, non satis est, ut dicamus, aliud esse princi-
pium distinctionis secundum numerum, & aliud
specificum secundum rem: vtraque enim tam ma-
teria, quam formæ physice constituit rationem
generis, speciei, & indiuidui: nam à composito ex
vtraque, triplex hæc ratio desumitur. Præterea,
quemadmodum ut genus multiplicetur secundum
speciem, non est necesse, distinguere secundum rem
principium, & differentiam specificam contra-
hentem genus ab ipso genere, sic etiam, ut multi-
plicetur species secundum numerum, non vide-
tur necessarium, principium indiuiduationis dis-
tingui secundum rem: ratione speciei: eadem e-
nim videtur vtriusque ratio, cum in eadem serie,
& ordine prædicamenti metaphysice collocentur,
& ex his solum fiat metaphysica compositio lon-
ge diuersa à compositione physica, quæ ex mate-
ria, & forma coalescit.

Ad Aristotelem vero, quem Thomistæ putant
suz sententiæ se habere defensorem, respondet
Scotus locis citatis, cum dicit, rem esse vnā, quæ
habet vnā materiam, nomine materiæ cum non

Nā 2

intel.

intelligere alteram partem physicam compositi, sed conceptum illum indiuidui, quam Scotus hæcceitatem vocat, quia contrahit speciem ad esse indiuidui, quod est veluti materis respectu speciei. Ego tamen ingenue fateor, Aristotelem locis allegans de materia, quæ est altera pars compositi, expresse locutum fuisse. Ceterum nonnulli sæpius sic arguunt, Multiplicatio secundum numerum fieri nequit sine diuisione: sed diuisio esse nequit sine quantitate: & hæc etiam non sine materia: ergo nec distinctio secundum numerum sine materia esse potest. Respondeo, eo argumento solum probati, multiplicationem secundum numerum, quæ fit ex diuisione continui, sine materia, & quantitate fieri non posse: at multiplicationem substantialem, quæ non fit diuisione, & scissione continui, sed ex natura ipsius rei, sicut fit multiplicatio secundum speciem, sine materia, & quantitate reperiri: & hoc satis de priori parte nostræ sententiæ.

11.
Damas.
Augustin.

Altera pars probatur testimonio Damas. 1. de fide capit. 3. ubi de Angelis ita scribit. Ac de essentia quidem æquales natura inter se, an dispares sint, haud quamquam compertum habemus: solus ille scit, qui eos creauit Deus, quique omnia perspicit & explorata habet. Idem ait Aug. lib. contra Origēstas. & Priscill. ad Orosium c. 11. ex officio vero eorum, & ordine nihil satis certi colligere possumus. Tum quia differentiam munerum, & ordinem possunt omnino ex gratia habere, aut etiam ex natura simul: potest etiam vnus alium illuminare naturaliter, non quia superioris sit intellectus secundum speciem; sed quia intra eandem perfectiorem habeat intellectum, ut inter homines. Denique ex quacunque parte eos consideremus, satis incerta res est: neque mirum id esse debet, quando inter ea, quæ videmus non semper distinctionem secundum speciem certo assignare possumus.

ARTICVLVS V.

Utrum Angeli sint corruptibiles.

2. d. 3. qu. 1. a.
art. 1. con. Et
4. qu. 1. art.
1. c. r. Et 2.
con cap. 54.
C. 91. 3. Et
po. qu. 5. art.
2. C. 4. per.
C. pu. 1. art.
74. Et op. 9.
quest. 47.
Lib. 2. cor.
tho. si cap. 3.
C. r. a. h. u. m.
5. fol. a. pri.
lib. numer.
Lib. 16. mo.
ral. c. 8. non
procul à
principio.

AD quintum sic proceditur. Videtur, quod Angeli non sint incorruptibiles. Dicit enim Damas. de Angelo, quod est substantia intellectualis, gratia & non natura immortalitatem suscipiens.

2. Præterea. Plato dicit in Timeo, O Dij deorum, quorum opifex idem paterque ego. Opera siquidem vos mea dissolubilia natura. Hos autem Deos non aliudquam Angelos intelligere potest, ergo Angeli natura sua sunt corruptibiles.

3. Præterea. Secundum Gregor. omnia in nihilum tenderent, nisi ea manus omnipotentis conseruaret. Sed quod in nihilum redigi potest, est corruptibile. Ergo cum Angeli sint à Deo facti videtur quod sint corruptibiles secundum suam naturam.

Sed contra est, quod Dionys. dicit 4. c. de diuin. nom. quod intellectuales sub-

ARTIC. V.

stantiæ vitam habent indeficientem ab vniuersa corruptione morte & materia, & generatione mundæ existentibus.

Respondeo dicendum, quod necesse est dicere Angelos secundum suam naturam esse incorruptibiles. Cuius ratio est quia nihil corrumpitur nisi per hoc quod forma eius à materia separatur. Vnde cum Angelus sit ipsa forma subsistens, ut ex dictis patet: impossibile est quod eius substantia sit corruptibilis. Quod enim conuenit alicui secundum se, nunquam ab eo separari potest. Ab eo autem cui conuenit per aliud, potest separari, separato eo secundum quod eo conueniebat. Rotunditas enim à circulo separari non potest: quia conuenit eis secundum seipsum: sed æneus circulus potest amittere rotunditatem, per hoc quod circularis figura separatur ab ære. Esse autem secundum se competit formæ. Vnum quodque enim est ens actu secundum quod habet formam. Materia vero est ens actu per formam. Compositum igitur ex materia & forma definit esse actu per hoc, quod forma separatur à materia. Sed si ipsa forma subsistat in suo esse, sicut in Angelis, ut dictum est: non potest amittere esse. Ipsa igitur immaterialitas Angeli est ratio quare Angelus est incorruptibilis secundum suam materiam. Et huius incorruptibilitatis signum accipi potest ex eius intellectuali operatione. Quia enim vnumquodque operatur secundum quod est actu, operatio rei indicat modum esse ipsius. Species autem & ratio operationis ex obiecto comprehenditur. Obiectum autem intelligibile cum sit supra tempus, est sempiternum. Vnde omnis substantia intellectualis est incorruptibilis secundum suam naturam.

Ad primum ergo dicendum, quod Damas. ascensu accipit immortalitatem perfectam, quæ includit omnimodam immutabilitatem, quia omnis mutatio est quædam mors, ut Augustin. dicit. Perfectam autem immutabilitatem Angeli non nisi per gratiam assequuntur: ut infra patebit.

Ad secundum dicendum, quod Plato deos intelligit, corpora cælestia, quæ existimabat esse ex elementis compolita. Et ideo secundum suam naturam erant dissolubilia, & secundum voluntatem diuinam semper conseruabantur in esse.

Ad tertium dicendum, quod sicut supra dictum est quoddam necessarium est quod habet causam suæ necessitatis. Vnde non repugnat necessario nec incorruptibili, quod esse eius dependeat ab alio.

alio sicut à causa. Per hoc ergo quod dicitur, quod omnia deciderent in nihilum, nisi continerentur à Deo, & etiam Angelis non datur intelligi quod in angelis sit aliquod corruptionis principium, sed quod esse angeli dependeat à Deo sicut à causa. Non autem dicitur aliquid esse corruptibile, per hoc quod Deus possit illud in non esse redigere, subtrahendo suam conservationem, sed per hoc quod in seipso aliquod principium corruptionis habet, vel contrarietatem, vel saltem potentiam materię.

CONCLUSIO est, Angeli suapte natura incorruptibiles sunt. Circa quam futura nobis est disputatio.

DISPUT. CLXXXII.

Verum Angeli natura sua, an gratia Dei incorruptibiles sint?

Quid senserint S. Thomas, Caietanus, & nonnulli Thomistae, cap. 1.

Probabilior sententia, c. 2.

Corollaria precedentis doctrinae, c. 3.

Posterior pars probabilior sententiae confirmatur, c. 4.

Diluantur argumenta prioris sententiae, cap. 5.

CAPVT I.

Quid senserint S. Thomas, Caietanus, & nonnulli Thomistae.

SANCTUS THOMAS in hoc art. 5. & supra qu. 9. art. 2. & ibi Caiet. & 2. lib. contra gentes cap. 30. & cap. 55. & ibi Errat. Petrus Bergomus in concordantiis locorum dub. 122. & Durand. in 1. d. 8. p. 1. quast. 3. affirmant Angelos suapte natura incorruptibiles esse & immortales: mortales autem & corruptibiles appellari iquit S. Thomas in illo art. 2. non ob aliquam potentiam passivam, quae in ipsis sit, sed solum ex activa potentia Dei, quae sicut producti sunt, annihilari eodem modo possunt: cum tamen cetera composita ex materia, & forma, quae corruptibilia sunt, ex potentia non solum Dei, sed etiam ex intrinseca potentia materiae, quae constant corruptibilia dicantur. Ut hanc doctrinam S. Thomae amplius explicet Caietanus, in eo articulo secundo notat duplicem esse potentiam, alteram realem, alteram logicam: realis est illa, quae rebus ipsis inest, ut sint hoc, aut illud: & haec est cum aliquo appetitu, & inclinatione: verum quia omnis appetitus, & inclinatio primo & per se non est ad esse, sed ad aliquod esse, ex quo sequitur non esse, ideo nulla potentia realis proxime est ad non esse: haec autem est, quae reperitur in materia rerum corruptibilium. Logica vero potentia est, quae vocari solet non repugnantia: & quoties non repugnat aliquid esse, potentiam Logicam in eo dicimus esse, ut sit, vel non sit. Prior potentia non est in Angelis, & rebus spiritualibus, quia non est aliquid in eis, quod possit recipere formam contrariam, cuius introductione desinant esse. Posterior vero potentia convenit Angelis, ut non sint, non quia illa sit potentia aliqua realis in ipsis, sed solum per respectum ad causam

Vasquez. in 1. parte Tom. 2.

efficientem, à qua possunt corrumpi: ideo recte dicitur Angelus natura sua incorruptibilis, quia in se nullam habet realem potentiam, ut corrumpatur, vel desinat: contra vero corpora haec inferiora natura sua dicuntur corruptibilia, quia potentiam realem & physicam in se habent, ut non sint. Eadem de causa Angeli dicuntur entia necessaria, necessitate physica & reali, quia caent potentia reali, ut non sint: sed non sunt entia necessaria necessitate logica, quia non repugnat, non esse. Id quod significare videtur Doctor sanctus in hoc articulo quinto ad tertium, dum appellat Angelum in ens necessarium, ita tamen, ut suae necessitatis causam habeat, scilicet Deum, à quo annihilari & destrui potest.

Itaque Angelos esse immortales, & incorruptibiles natura sua probatur primo ex Concilio Lateranensi, sub Leone 10. sess. 8. nam in bulla Leonis, quae ibi ponitur in principio illius definitur, animam rationalem esse immortalem: cum ergo Angeli non sint inferioris conditionis, eodem modo immortales erunt, Quod si anima, & Angelus natura sua essent mortales, & corruptibiles, licet voluntate & gratia Dei in perpetuum durarent, nihilominus mortales & corruptibiles simpliciter dicendi essent. Secundo Dionys. 4. cap. de divinis nominibus non longe à principio ait animas nostras similes esse Angelicis virtutibus: ostendens autem, in quo similes sint, inquit, Quod mentis sunt compositae, quod vitam per se, essentiamque suam habeant, eumque ab interitu liberam: quibus verbis indicasse quoque videtur rationem sancti Thomae in hoc articulo, qui ideo asserit, Angelos esse incorruptibiles, quia sunt formae per se subsistentes: alias vero res compositae ex materia & forma ideo esse corruptibiles, quia separari possunt in eis forma à materia: quae ratio inferius examinanda erit. Tertio Basilus in Psalmo 44. in principio, docet Angelos non senescere, & naturae eorum substantiam immutabilem esse. Quarto Iulianus Archiepiscopus Toletanus libro primo de futuro saeculo capitulo secundo, qui habetur 3. tom. Biblioth. laetiae, asserit, Angelos ita conditos esse, ut etiam si peccarent, mori non possent; homines vero propter peccatum, mortis poenam incurrisse. Quinto Athanasius in lib. definitionum, parum à principio, docet, Angelum, & animam rationalem immortales esse. Denique Damascenus in lib. institutionum capit. 7. dicit, immortale, esse differentiam Angelicae naturae, & cuiuscunque alterius incorporeae substantiae.

Ratione vero probatur: nam aliquod obstat, quo minus Angeli dicerentur sua natura incorruptibiles, illud esset, quod natura sua pendet à Deo ut à prima causa, à qua conservantur: sed hoc ob esse non potest: nam ignis natura sua dicitur potens calefacere, etiam si necessario pendeat eius potentia ab influxu Dei cooperantis, ut calefaciat: ergo Angeli, dici potest sua natura incorruptibilis, etiam si ab influxu Dei conservantur eius esse pendeat.

CAPVT II.

Probabilior sententia.

CUM corruptibile & mortale, sicut etiam incorruptibile, & immortale relapse dicantur